



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio VI. Ramus olivæ, quem columba cessante diluvio ad  
Noëmum tulit, typus & symbolum SS. crucis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

Max. Sandæ-  
us in Stau-  
roph. lib. 45.  
tit. 12.

Anno Christi 1620. in festo S. Thomæ Ap. in pago Rauttenberg in Episcopatu Hildesheimensi nonnulli Acatholici in cœmiterio jaculatoriam exercebant, ubi Crucifixi Salvatoris imago pro epithaphio ex veteri Catholicorum more pendebat; inter quos Prædicantis filius, cui Bodo nomen, velut alter Chamus brachium dextrum Crucifixi glande plumbeâ petulanter trajicit, ex quo mox copiosus sanguis etiam ad terrorem hæreticorum, qui hoc prodigium nullo modo suppressere poterant, emanare cœpit, quæ sacra icon postea ab Illustrissimo Comite Tillio Imperatorii exercitûs Duce in arcem Sturvaldensem, ubi etiamnum ob tanti prodigii memoriam piè asservatur, translata est.

Vides ex hoc, Lector prudens, quomodo hæretici, velut alter Chamus, nuditatem patris sui in cruce rideant, illudant & subannent. O quam bene de ejusmodi malis & falsis Christianis Apostolus effatus est: *Multi, inquit, ambulat, quos sæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum.* Nos autem non sic, animæ Christianæ & Catholice, nos, inquam, non sic agamus, sed imitemur potiùs Sem & Japhet, qui nuditatem patris sui velamentò tegebant, illumque pro viribus honorabant, & ideò largissimam benedictionem reportabant: *Benedictus Dominus Deus Sem; sit Chanaan servus ejus; dilate Deus Japhet &c. Sitque Chanaan servus ejus, &c.*



## CONSIDERATIO VI.

Ramus olivæ, quem columba cessante diluvio ad Noëmum tulit, typus & Symbolum SS. Crucis.

*Et illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. Gen. 8. 11.*

**M**inutis sensim post annum ferè solarem diluvii aquis, & finito tandem universali diluvio, ubi arca Noëmica super montes Armeniæ primò requiescere cœpit, Noë Patriarcharum decus, corvum ex superiori arca fenestra, qui exploraret aquas,

aquas, dimisit; sed quia hic plura adhuc in montibus jacentia, & in aquis natantia conspicatus est cadavera, escam tantoperè sibi desideratam, non amplius ad Noëmum reversus est; proinde alium tempestatis nuntium & quidem columbam emittere statuit, quæ, ubi in terra illa limosa & spurcitiis obsita non invenit, ubi requiesceret pes ejus, reversa est in arcam. (En pulcherrimum symbolum procraftinantis, & verè pœnitentis animæ) Tandem expectatis aliis septem diebus ex eadem arca aliam dimisit columbam, quæ venit ad eum ad vesperam, portans Gen. 8. 11.  
*ramum olivæ virentibus foliis in ore suo.*

Quæres quo loco hæc sedula columba hunc ramum olivæ viridem & fructibus jam turgidum invenerit? Et nunquid vastissimum illud diluvium omnia stravit ædificia, arbores & plantas? Ubi ergo illum virentem olivæ ramum accepit? Resp. S. Ambrosius, quod DEUS olivam aliquam sub aquis diluvii conservavit immunem, non S. Ambr. lib. de arca. c. 19. folia tantum sed & fructus sub aquis progermantem, ex qua columba illa ramusculum rostro suo defregit, & in manus Noëmi deportavit: *Extenditque manum, & apprehensam tulit in arcam.* O gratissima columba, quæ orbi universo & mortalitati futuræ humanæ signum pacis & symbolum divinæ reconciliationis DEUM inter & hominem in arcam reportasti, olivæ enim divinæ misericordiæ & pacis est hieroglyphicum.

2. Per hanc olivam in communi cataclysmo ad solatium generis Franc. Quares. humani divinitus conservatam gravissimi Auctores sanctam crucem in opere de terra Sancta. Dominicam, & per ejus ramusculum à columba decerptum particulas Item Tom. 2. c. 8 sect. 6. de SS. Vull. Chr. & segmenta ejusdem Dominicæ crucis per orbem Christianum nunc passim dispersa subaudiunt, crux enim pientissimi Salvatoris nostri, prout bene observat Franciscus Quaresmius & alii, ex magis obvio & communi ligno in illis Hierosolymæ partibus fabricata est; sed nihil magis obviæ tunc erat, & etiamnum est quàm olivæ, quæ in magno numero circumstat Hierosolymam, proinde piè credendum est, ait prædictus Auctor cum pluribus aliis, crucem Domini ex olivæ esse factam; In quem finem & Judæi sub Tito & Vespasiano Romanis Principibus in sceleris sui vindictam, quod Christum in Olivino ligno clavis ferreis suspenderint, & ipsi, & quidem plura millia, in similibus arboribus in obsidione Solymææ secundum eloquium Domini: *Ut scirent, quia per qua peccat quis, per hæc & torquetur,* à Romanis militibus Sap. 11. 17. suspensi sunt.

3. Est autem Olivæ & ramus ejus pacis symbolum apud omnes nationes terræ; ita Pererius, qui olivam vocat *hieroglyphicum pacis, victoria, æternitatis & felicitatis.* Crux pacem DEUM inter & hominem, coelum

Col. 1. 19. coelum & terram reconciliavit: *Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in id ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus sive qua in terris, sive qua in caelis sunt.*

Oliva radicem habet amarissimam, corticem & folia pari amaritudine repleta, fructus tamen progerminat dulces ac salutare, atque ad usum humanum aptissimos, unde lemma: *Ex amaro dulce.* Crux Dominica & spiritualis amara quidem in primo nobis apparet intuitu. Hic apud multos isthac auditur lamentatio: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Verum remove paulisper corticem & velamen de corde tuo, & experieris in fine, quam suaves ac salubres animae fructus ipsa sancta Crux soleat progerminare; idcirco S. Mater Ecclesia in officio de S. Cruc. *Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens powdera, qua fuisti digna portare Regem caelorum & Dominum;* Quibus verbis S. Didacus ex Seraphica familia S. Francisci singulari devotione pronuntiatis, oculis in crucem & crucifixum Dominum coniectis, animam suam Compluti placide in manus DEI reddidit.

4. Oliva insuper tum in hyeme, tum aestate viret, truncumque habet solidissimum ac vivacissimum, qui multis confixus clavis, aut gladio percussus non laeditur; de qua si rami praescinduntur, oliva potius gaudet, quam tristatur, quia mox novos furculos protrudit ac progerminat, qui etiam ex sicco & penè mortuo ligno renascuntur; unde lemma: *Tantò uberius.* En rursus egregium symbolum SS. Crucis Dominicae semper florescentis, & novos gratiarum furculos progerminantis: *Quasi oliva speciosa in campis,* quae etiam in partes & segmenta divisa, non tamen minuta esse fertur. Rem paucis accipe.

Eccl. 24. 19. *Cum Diva Helena SS. Crucis lignum Jerosolymis invenisset, eam quidem in varias partes dividi jussit, de quibus unam partem insignem filio suo Constantino Imperatori Magno, alteram sibi pro sua devotione reservavit, sed majorem, imò maximam Dominicae Crucis portionem in theca argentea inclusam Jerosolymis pro solatio Christianorum reliquit, de qua fidelibus illuc ex omnibus terrae partibus peregrinantibus ac confluentibus devotionis ergò ab Episcopo illius loci frustulum concedi solebat, ex qua tamen divisione minimè illud vitae lignum diminutum esse constanter à SS. Patribus asseritur; nam sicut quinque panes à DEO multiplicatos fuisse non ignoramus, sic teste S. Cyrillo, S. Paulino & aliis lignum vivificae crucis pari prodigio à DEO multiplicatum, & per suas particulas per universum terrarum orbem dispersum est: Operante divina gratia, ait citatus S. Paulinus, jugi miraculo Crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris penè quosi-*

S. Paulinus.  
Epist. 1. S. Cyrillus Catech. 4.

quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat, quotidie dividiuam sumentibus, & semper totam venerantibus, sed istam imputribilem virtutem & indetribilem soliditatem de illius profecto carnis sanguine bibit, qua passa mortem, non vidit corruptionem &c.

5. Oliva insuper suavem & salubrem umbram homini lassio sub ea quiescenti, præbet, cujus fructus est oleum, quod omnibus aliis liquoribus superfertur, neque solum homini optimum condimentum præstat, sed & illum in pugna roborat, de nocte illuminat, in fame nutrit, in morbo sanat, & vulnera ejus mirè lenit ac curat; Unde optimus ille Samaritanus in plagas illius Jeruchunti Viatoris à latronibus sauciati olim infudisse perhibetur: *Et appropians alligavit vulnera ejus, Luc. 10. 34. infundens oleum & vinum.*

Sacratissima Crux Dominica longè suaviorem ac salubriorem nobis umbram præbet, quam oliva, ad quam jam pridem aspiravit vates ille regius, dum superiore spiritu illustratus, prævidens Crucifixum Dominum suum in oliva pendentem exclamavit: *In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas, quia umbra SS. Crucifixi suos amatores & cultores in periculo protegit, in necessitate fovet, in pugna spirituali roborat, in umbra mortis illuminat, in fame pascit, dolores in morbo lenit, & quæcunque animæ vulnera mirabiliter curat; unde Isaias: Et livore ejus sanati sumus.*

6. Cæterum observat S. Augustinus, quod ille ramus olivæ, quem columba Noëmo post diluvium detulit, non tantum virefcentia folia, sed & maturos fructus habuerit: *Reportavit, inquit, columba ad arcam ramum de oliva: Ramus ille & folia & fructum habebat &c.*

Anima Christiana! non sint in te sola & nuda verba, quasi inania folia, sed & opera in te & à te requirit Crucifixus Salvator tuus: *Arbor enim, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. In hunc finem maledicta fuit illa ficus: Nunquam ex te fructus nascatur in semine, quia virentibus tantum foliis & non fructibus targebat, proinde hoc tibi pro lemmate applica: Aut fructum, aut ignem.*

7. Oliva si vult esse frugifera, prout observat Palladius, & etiamnum Græci, à mundis pueris & virginibus debet plantari; Crux & Crucifixus in ea Dominus castos amat animos, Venereos à se repellit, non enim conveniunt Christus & Belial, Arca & Dagon, lux & tenebræ, Filius Virginis & filius Veneris.

Oliva si agrestis est, insipida quoque est, fit autem sapida & edulis, si sale maceretur & aceto: Crux, si audis nomen ejus, tibi videbitur insipida, sed placebit & sapida tibi erit, si sale & aceto macerationis & mortificationis perfricabitur.

Oliva,

Oliva, ut fundat oleum, multis pistilli ictibus debet contundi: Sic quoque carnem tuam rebellem debes castigare pistillo crucis, si ex ea oleum puritatis & virginitatis destinas exprimere.

Oliva denique commendatur de liberalitate in suos cultores, affert enim illis fructus uberrimos in omni patientia. Quid, obsecro, liberalius quam JESUS Dei Filius in oliva crucis pendens? Considera illum, & videbis, quod dederit omnia, quæ habuit pro anima tua; ille talis ac tantus, qui primam sanguinis guttam te potuit redimere, dedit in oliva crucis pro te ultimam. Sit ergo benedictus DEUS, quia fecit nobiscum misericordiam magnam &c.



## CONSIDERATIO VII.

### Arcus cœlestis Noëmo post diluvium ostensus, typus Christi Jesu crucifixi.

*Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram. Gen. 9. 13.*

I.

**N**Oë, pater futuri sæculi, ubi terminato diluvio DEO T. O. M. in debitæ observantiæ & gratitudinis signum ex cunctis mundis animantibus lautissimum obtulit sacrificium, attollens oculos in cœlum, in superiori aëris regione arcum miræ ac raræ pulchritudinis conspicatus est, qui Noëmo, filiis ejus ac omnibus posteris non nisi fausta ac prospera annuntiavit; unde DEUS ad eum: *Hoc signum fœderis, quod do inter me & vos, & ad omnem animam viventem, qua est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram, cùmque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum &c.*

Gen. 9. 12.

Hier. Drex.  
de Christo  
moricite,

Per hunc arcum, seu Iridem serenitatis & pacis nuntiam, teste Hieremia Drexelio, SS. Patres ac Interpretes haud immeritò Christum JESUM & hunc Crucifixum intelligunt, per quem genus humanum cum Patre irato fuit reconciliatum. Priùs in prima mundi ætate acer-

rimum